

1573?

## O T H O.

5

edictis armisque persequi & late vndique summouere. Confugerant patritii ab Actiolinum à Romano, quem Eccelinum perperam aliqui nominant, qui rei militaris peritia & immanitate crudelis ingenii duces omnes atque tyrannos anteibat. Is Cæsarianarum partium princeps erat, Federicóque secundo dux & miles operam nauarat. Itaque magnis coactis copiis aduersus Turrianos bellum suscepit, transgressusque Abduam in agrum Mediolanensem secessit, patritios in patriam reducturus, vlturisque eorum iuriias sanguinaria manu, nisi Dii eam diræ pestis cladem auertissent. In eo enim metu & trepidatione, Martinus constanti animo populum sub signis eduxit, interclusumque tyrannum amne Abdua quum à tergo Vbertus Palauicinus, & Actius Atestinus, Bosiusque Douaria, fœderati principes instarent, commissa pugna superauit, tanta felicitate ut ipse tyrannus Nerone crudelior suo atque alieno cruento perfusus quum se se incitato insigni equo eripere conaretur, viuus in potestatem hostium deuenerit, nec multo post in tabernaculo Bosii repudiatis remediis expirarit, quum nullis vel benignis precibus adduci posset, ut bene speraret, & obligari vulnera pateretur, toruis enim oculis ferociam spirans neminique respondens, tot scelerum poenas effugere accersita morte properabat, ne turpi incertæ vitæ desiderio, ludi briis ignominiæque superesset. Cæterum eo prælio nobilitas prostrata fugatique est, & Martinus autoritate, gloria, atque opibus adactus, soluto pudore dominatum arripuit, aboleuitque eius concilii nomen, quod populus sub Credentia nomine instituerat, cuius decretis ipse dudum solenni sacramento adactus se staturum iurauerat. Sed ea moderatione & temperantia Martinus vtebatur, ut nullum superbum aut insolens dictum ore vel gestu prorsus excideret: studebat tranquillitati, copiae, vbertatique rerum omnium, Paulique Soresinæ aduersarum partium principis filiam matrimonio sibi copularat, ut & inimicis ducem opulentum detraheret, & pacem atque ocium se maxime cupere ostenderet. at patritii ab his nuptiis repudiato Paulo ad Iordanem Ruscum Comensem se contulerunt: quam obrem Martinus maiorem indies gratiam, exactaque prudentia opinionem est consecutus. Ad confirmanda quoque populi studia declinandamque inuidiam, quum sumptuosius ædificare diceretur, omnes operas ad Ticinum conduxit, ut non procul ab Abiato oppido emissarium nauigabile deriuata parte amnis ad urbem perduceret, ad facillimas subuectiones importandorum ex agris fructuum, qua incomparabili commoditate populus in quotidianos usus perpetuo frueretur. Sub id tempus variæ patritiorum manus ab exilio latebrisque remotiorum oppidorum ad Othonem peruenient, patriam & sacerdotii sedem ex authoritate pontificis repetentem. Hi nanque in nouam spem quæ exules & miseros nunquam destituit erecti, vndiq.

B